IOHANNES WERD

Österreich (Wien), 1496 Seite 50r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=7271
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



Ad Actus nocionales:

LI

50

III

Actus nocionales sunt de aliquo.

Et Arguitur quod non quia si pater generat filium de aliquo aut de seipso aut de aliquo alio si de aliquo alio cum id de quo aliud generatur sit in eo quod generatur sequitur quod aliquid aliud sit a patre in filio quod est contra hilarium 1 de trinitate ubi dicit Nihil in hiis diversum nisi aliud. Si autem filium pater generat de seipso illud autem de quo aliud generatur si sit permanens recipit predicationem eius quod generatur sicut cum dicimus quod homo est albus qui homo permanet cum de non albo fit albus. Sequitur ergo quod pater vel non permaneat filio genito vel quod pater sit filius quod est falsum. Non ergo pater generat filium de aliquo sed de nihilo. 2o Illud de quo aliquid generatur est principium eius quod generatur. Si ergo pater generat filium de essentia vel de sua natura sequitur quod essentia vel natura patris sit principium filii sed non principium materiale quia materia in divinis locum non habet ergo est principium activum sicut generans est principium geniti. Et ita sequitur quod essentia generat quod est improbatum est. 3o Augustinus dicit 1 de trinitate quod 3e persone non sunt ex eadem essentia quia non est aliud essentia et persona. Sed persona filii non est aliud ab essentia patris ergo filius non est de essentia patris. 4o Omnis creatura ex nihilo est sed filius inscriptus dicitur creatura. Dicitur enim ecclesiastici 24 ex ore sapientie genite. Ego ex ore altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam. Et post ex ore eiusdem sapientie dicitur Ab initio et ante secula creata sum. Ergo filius non est genitus ex aliquo sed ex nihilo. Sed potest obici de spiritu sancto propter hoc quod dicitur Zach. 12o Dominus dixit extendens celum et fundans terram et creans spiritum hominis in eo. Et Amos 4 secundum aliam litteram Ego formans montes et creans spiritum. Sed contra est quod Augustinus dicit in libro de fide ad petrum Pater deus de sua natura sine initio genuit filium sibi equalem.

Postquam dictum est in precedenti articulo ante quod actus nocionales sunt naturales et non voluntarii ut voluntas importat habitudinem principii hic quoniam investigare intendit. Utrum sint ex aliquo aut ex nihilo. Sed quod sint ex aliquo videtur sequi conclusio ad precedentem articulum. Omne enim quod est ex nihilo est voluntarium. Cum ergo actus nocionales non sint voluntarii ut dictum est. Exinde sequitur necessario quod sint ex aliquo. Et ita patet ordo Incipit. In corpore articuli primo ponit tres conclusiones pro parte responsiva ad quesitum filius in divinis non est genitus de nihilo sed de substantia patris. Ad cuius declarationem ponuntur conclusiones fundamentales. Prima per modum suppositionis. Paternitas filiatio et nativitas vel et proprie est in divinis. Hec patet quia 1 ar 2 et quoniam 3 ar 2 et 3 3o est quod dicitur in textu. Ostensum est 3 2 propositio. Si filius procedit a patre ut de nihilo existens hoc modo se habet ad patrem sicut artificiatum ad artificem. Probatur quia hoc differt inter generationem veram quam aliquid procedit ut filius et inter factionem quam factio fit de materia extrinseca facienti. Sed generans generat de substantia sua. Et sicut aliquid agens creatum facit aliquid de materia sic deus facit aliquid de nihilo et sic habet filius se ad patrem sicut artificiatum se habet ad artificem. 3 propositio. Si filius dei procedit a patre quasi existens ex nihilo non esset vel filius et proprie. Probatur quia si filius procedit a patre ut de nihilo existens hoc modo se habet ad patrem sicut artificiatum se habet ad artificem sed artificiatum non habet nec potest habere naturam vel filiationem. Ergo nec filius si procedit etc.